

verba: DE CAPTIVITATE REGIS ANGL. 16. præcipitatum -- vento præcipitatum, post lin. 22. DE SECUNDA EXPEDITIONE. 27. disposuit -- disposito. 34. Winigartensi. ibid. Beengartin. Berngartrutte. 37. fortis -- fratris. 38. consumpta -- resumpta. 40. pridie -- pridem. 43. intigni. in inf. gni. 48. Imperator -- Romanus Imperator. 52. assidere refert -- à sfdere refert, id est, differt. 53. sydus -- fidus. 48. una scilicet stella.

XXVIII,

EXCERPTA DE GVELFIS.

EX VITI ARENPECK PRESBYTERI FRISINGENSIS
CHRONICA BAJOARIORVMEX MS^{to}*De Duce Bavarie Conrado, qui & Chuno; qui
exul obiit.*

Conradus, qui & Chuno, Ducatum Bavarie ab Imperatore Hainrico tertio Anno Domini M. XLIX. recepit. Deinceps anno M. LIV. dictus Chuno, Dux Noricorum, foederatis sibi Hungaris, graviter rebbellat. Qui ab ipso Hainrico Imperatore, à quo constitutus, ob perfidie suae culpam à Bavaria expulsus, anno Domini M. LX. in Pannonia exul male moritur. Deinde Imperator auctoritate Imperiali uxori suae Agneti Imperatrici, nobilissimi Galliarum Principis Guillelmi, Pictaviae & Aqvitaniae Ducis Sorori, Ducatum Noricum donavit.

De Imperatrice Agnete, qua Bavariam rexit.

Agnes Imperatrix Ducatum Bavarie uberi pace septennio gubernavit. Sed, quia dissensionem in regno, ecclesiae perturbatio, monasteriorum destructio, totius justitiae ac religionis concuscatio, & multa incommoda oriebantur: ipsa nobilissima Imperatrix, Regis Hainrici Genitrix, rerum permutationes considerans, taedio affecta vel potius divinitus compuncta, Ducatum Bavarie deposuit, & regni gubernacula penitus pro Christo contemnens, anno Christi M. LXIX. ad monasterium Fruteriam religiose vivens, se contulit. Ac inde Romam veniens, XX. annis vidua permanens, & per aliquot tempus ibidem subsistens ibique dignis poenitentiae fructibus mira interviens humilitate, post aliquot annos in Domino praesentem vitam finivit anno Domini M. LXXVII. & in ecclesia Beatae Petronellae honorifice in tumba marmorea est sepulta.

De Ottone Duce Bavarie, quem Eginus diffamat.

Otto Dux Bavarie ab Agnete Imperatrice constituitur. Hic iraque Saxo genere, Vir amplissimae nobilitatis, prudentia rebusque bellicis perpaucis erat comparabilis, & in tanta apud universos primates excellentia habitus, ut Rex Hainricus, qui jam Saxonibus omnino suspectus & invidus erat ipsum contra se in regni fastigium elevari posse formidaret, si res sua secus cederet. Hinc perveritatis materiam arripiens quidam Eginus, mediocri natus loco, rebus admodum tenuis audaciatamen & nequitia satis diffamatus; patrocinantibus quibusdam regis fidelibus, curiam irrepit, & magnum illum heroem, qui eum nunquam noverat, secum de Regis nece tractasse commentus est: se ipsum etiam, ut mos est, Potestati regiae vadem obtulit, quousque campali duello cum Duce configens, vera comprobaret, quae retulit. Quid multa; placitis vel colloquiis regalibus, uno Moguntia, altero Goslaria condictis, Otto cum Eginone, utpote Dux cum latrone, primas cum ignobili, congregari contempsit: sua tamen innocentia vel Eginonis improbitas minime latuit. Sic Ducatum Bavarie Otto, ut reus laesae Majestatis, amisit 1071. quem Welfo quidam, illustris & acer atque bellicosus, natus Suevus, accepit: anno Christi M. LXXII. Hainricus Rex IVtus, Ottonem usque quaque persecutus, quam plures munitiones ejus destruxit, praedia vastavit, & ut vere rei publicae hostem omnino eum delere pertractavit. E contra ille, militibus electis instructus; ipse quoque manu fortissimus, & animo nimis efferatus; quia cum regis copiis configere non poterat, nunc praeda, nunc flammis, nunc etiam ferro, quocumque se fors obrulit, suas injurias ulcisci satagebat. Demum Bavariam cessit, Saxoniamque ingreditur, ubi conjuratio magna in Regem subsecuta dinoscitur. Welfo nihilominus Ducatum obtinuit. Huc usque ab Heinricho Duce Bavarie, fratre primi Ottonis Caesaris, Duces Bavarie; qui omnes à Saxonibus orti videntur. Deinde Svevi subintrarunt usque ad Ottonem Schirenssem Palatinum de Witelspach.

De Guel-

De Guelfone Duce Bavariae & ejus Origine.

Guelfo vir illustris [natus] patre *Azzone*, ditissimo Marchione Estensi matre *Chunza*, Guelfo-
nis secundi filia, & tertii Sorore. Cum autem *Guelfo* tertius, Vir per omnia probatus, *Ka-*
richiorum Dux filius Guelfonis secundi, immatura morte præventus fuisset sine hærede, & omnes
possessiones suas in Svevia Ecclesiis distribui mandasset; sane mater eiusdem hanc distributionem
sibi non permisit, sed potius de Italia revocavit filium præfati *Azzonis*, nepotem suum, *Guelfonem*
quartum eumque hæredem omnium possessionum ejusdem generis in Svevia instituit. Hic *Guel-*
fo, cum *Ottonem* Ducem à Bavaria expulisset, à Rege *Hainrico* quarto, Dux Bavariæ constitui-
tur anno Domini M.LXXI. Accepit autem *Reginam* Angliæ, tunc viduam, filiam scilicet *Baldu-*
wini nobilissimi Comitis Flandriæ, *Juditham* in uxorem; ex qua duos filios, *Guelfonem* & *Heinri-*
cum, quorum uterque Ducatum Bavariæ, alter post alterum, possedit, progenit, & multa ma-
gnifica peregit. *Hainrico* quarto bona fide adhæsit; donec idem Rex, multis facinoribus reus ha-
bitus, sedi Apostolicæ se opposuit, & in mortem præfati Guelfonis, ut dicitur, quidam machi-
natus fuit. Ex tunc recessit ab eo, anno M.LXXIV; &, cum *Rudolfo* Sveviæ ac *Bertholdo* Karin-
thiæ Ducibus, conjurat una cum Saxonibus, adversus Regem *Hainricum*. Item jam dicto anno
Gregorius VII. canonicè electus est, qui dictum Regem & Episcopum Coloniensem, cum multis
nobilibus Alemannorum, excommunicat. Quare de consilio ipsius Regis *Hainrici* excommuni-
cati plurimi seditiosi Episcopi apud *Brixinam* Bavariæ, haut procul à *Valle Tidentina* anno Domini
M.LXXVI. *Gibertum* Ravennatem Episcopum in Papam elegerunt, & *Clementem* vocaverunt; &
sic horrendum schisma in ecclesia surrexit, multis Principibus & Episcopis Regi & suo Antipapæ ad-
hærentibus; aliis è contra vero Papæ faventibus. His periculosis temporibus Dux *Guelfo* Regem im-
pugnat.

De bellis in Austria, Svevia Rhetia.

1081. Bellum inter *Conradum* in Orientali Bavaria, Ducis *Boëmiæ* fratrem, & *Luitpoldum* Mar-
chionem Orientalem commissum est 4 Idus Maji. Item aliud inter Alemannos & Bavarios; Idus
Augusti juxta Danubium apud *Hohenstein*, ubi *Palatini* Comitis *Chunonis* filius *Chuno* occisus est
anno Domini M.LXXXIII. Dux *Guelfo* sua potentia contra Imperatorem civitatem *Augustam* obse-
dit; per famulos civitatem cepit, muros ejus solo æqvavit, & capta magna præda egreditur. *Quin-*
imo & urbem *Frisingensem* destruxit. Insuper omnes ecclesias & clericos Imperatori adhærentes
contra verum Papam, spoliavit & rebus suis privavit. Item *Sifridum*, Episcopum Augustensem
Schismaticum 1088. captivavit, & comprehensum in vincula jecit, & in castro suo *Ravensprach*
multo tempore catenatum conservavit. Inde propter horrenda facta, in urbem Augustensem Im-
perator *Guelfonem* bannivit, & à Ducatu revocavit. Anno Christi M.XCVI. *Guelfo* Dux ante *No-*
ricus, qui ab Imperatore jam dudum abjuraverat, & ob id Ducatum perdidit, in gratiam ejus
rediit, Ducatumque recepit; atque, ut Senior filius suus *Guelfo* sibi in Ducatu succederet, ab Impera-
tore obtinuit. Cum autem ad senilem ætatem pervenisset, monasterium *Raytenpuech* construere
cepit anno Christi M.LXXXV. & satis copiose dotavit; quod confirmatum fuit per Papam *Ur-*
banum II. anno M.XCII. Sed & *Staingadense* fundavit. Similiter cœnobium *Altorffense*, quod mo-
nasterium *Weingarten* vocatur, prædiis, decimis, mancipiis & ornamentis ecclesiasticis ditavit.

*De Guelfonis in gratiam Imperatoris receptione & pere-
grinatione transmarina, & obitu ejus,
ac Sociis.*

Volens itaque Deo pro suis excessibus satisfacere; Hierosolymam versus iter arripuit,
sepulchrum que Domini & alia sancta loca devote visitavit anno Christi MCI. Deinde ad
reversionem se præparans, *Cyprum* adiit ubi vitam clausit extremam. Ossa tamen
ejus inde sublata, ad *Altorffense* monasterium translata & reposita sunt. Hic erat Vir ar-
tis strenuus, consilio providus, scientia tam forensi quam civili præditus. Multas tem-
pestates bellorum, contra se & alios in finibus suis exortas, magna severitate & moderatione com-
pescuit. Socii autem ejus peregrinationis & laborum, aut interfecti, aut vivi Saracenis, machinan-
te perfidissimo *Alexio* Imperatore Græcorum, traditi sunt. Inter quos *Themno* Saltzeburgensis Archie-
piscopus, comprehensus & Regi *Memphæorum* præsentatus, ad idololatriam angariatur. Ille sanum
aggressus, animi & corporis viribus robustissimus; idola, quæ adorare debuit, non Deos, sed opera ma-
num ostendens, in frustra comminuit. Ob ea productus, exquisitis suppliciis & variis tormentorum
generibus affectus, glorioso martyrio coronatus est, in Græciæ civitate *Corrasio* ibidem sepultus,
Matrem *Leopoldi* Marchionis Orientalis, quæ similiter in eodem comitatu
vixit, unus de Principibus Sarracenorum rapuit, & impurissimo matrimonio sibi copulavit, ex eaque

Sanguinum Sceleratissimum illum progenit. Post *Themonem*, electus fuit in Archiepiscopum. Saltzeburgenem *Conradus* de Abensperg, qui habuit avum nomine *Babo*. Hic XXX filios & VIII, filias de liberis uxoribus genuit, quos filios omnes ante conspectum Imperatoris *Hainrici IV*, vel *V*, præsentavit, adjunctis cuilibet milite & famulo.

Hic Dux *Gvelfo* moriens, duos filios, *Gvelfonem* & *Heinricum* reliquit.

De filio ejus, Duce *Gvelfone*.

Gvelfo filius ejus, defuncto patre Ducatum Bavariorum accepit, & tam curiæ suæ largitate ac honestate, quam finitimarum gentium maximeqve Italiæ bellis & honestatibus, multa magnificè peregit. Romæ cum Imperatore *Hainrico V*, fuit anno Christi MC XVI. cum Paschalem Papam captivavit; immunis tamen ab hoc scelere. Nam & omnimode cum ab eo declinare non posset, mediatorem se ad compositionem faciendam interposuit. Accepit autem *Mathildam*, nobilissimi ac ditissimi Italici Marchionis *Bonifacii*, & *Beatricis* sororis (a) *Hainrici III*, Cæsaris filiam, relictam *Gotifridi* potentissimi *Palatini de Chalce*, in uxorem, fœminam virilis animi, quæ ad instar fortissimi Principis totam terram illam dominio suo subjugavit. Quam tamen postea consilio *Gregorii VII*, eo quod in quarto gradu prior ejus maritus consanguineus ejus erat, interveniente divortio, repudiavit. Ducavit siquidem annis XVIII. Denique omnibus bene compositis, morbo correptus in *Villa Chufringin* diem clausit extremum, & in *Altorf*, modo *Weingarten*, deportatus, juxta patrem & matrem sepultus est anno MC XIX. cui frater in Ducatu successit.

De fratre ejus *Hainrico*, Duce *Bavaria*.

Hainricus mortuo fratre, Ducatum Noricum, & omnia quæ illius erant, obtinuit & potenter ditioni suæ subjugavit. Accepit autem uxorem de Saxonia filiam *Magnonis* Ducis, & *Sophiam* Sororis Regis Hungarorum *Colomanni*, *Wlshildem* nomine; ex qua, præter illos, quos infra annos sinus cœlestis patriæ suscepit, *Juditham*, *Sophiam*, *Mathildam*, *Wlshildem*, *Conradum*, *Hainricum* & *Gvelfonem* progenit. *Juditha* nupsit *Friderico* Svevorum Duci, quæ *Fridericum I*. Imperatorem, & *Juditham* uxorem *Mathæi* Ducis Lotharingiæ progenit. *Sophiam* *Perchtoldus* Dux de *Zaringen*, & eo mortuo *Linoldus* Marchio de *Stiria* in uxorem accepit. *Mathildis* primo *Diepoldi*, filio *Diepoldi* Marchionis de *Vohenburch*, postea eo mortuo *Gebhardo* de *Sulzebach* copulata est. *Wlshildem* *Rudolphus* *Pregantinus* Comes duxit. *Chunradus*, in clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis domi litterarum studiis informaretur, tempore maturo Colonienſi Archiepiscopo, altiori studio & disciplina clauſtrali educandus, committitur; ubi in utroqve non tantum profectus, sed & aliis virtutibus, vicia declinans, setantum exornavit, ut ab omni & clero & populo amaretur, ab omnibus summo honore dignus judicaretur. Ipse vero honores & divitias, laudemque humanam fugiens, quibusdam se monachis sociavit, cum quibus omnibus suis ignorantibus, *Clarevallenſe* monasterium adiit, ubi se monachum fecit. Deinde procedente tempore Hierosolymam petiit, ubi cuidam servo Dei, in heremo manenti, adhæsit, eiqve cum omni humilitate necessaria administravit. Tandem sentiens, se quadam infirmitate tactum, de re versione cogitavit, & ingressus navem, *Baram* civitatem Sancti Nicolai pervenit, ubi beato fine diem ultimum clausit, honorificeqve sepultus, ibidem requiescit. Circa idem tempus anno Domini M. C. XXVII. Pater quoque ejus *Hainricus* Dux, septimo Ducatus sui anno, & mater; pater in castro *Ravensperch*, & mater in *Altorf*, XVI. die post mortem mariti, obierunt, & in monasterio sancti *Martini* sepulti sunt.

De filio ejus *Hainrico* Duce *Bavaria*, vulgariter dicto *Superbo*.

Hainricus, defuncto *Hainrico* Duce Noricorum, genitore suo, Ducatum ejus adeptus est; qui *Gerdrudim*, unicam filiam *Lotharii* Regis accepit uxorem, & nuptias cum ea apud *Augustam* civitatem, convocatis fere omnibus Regni Principibus, magnifice celebravit, in loco, qui *conciio legum* vocatur, ubi quondam Hungari succubuerunt.

Quo facto venit ad Imperatorem *Socerum* suum apud civitatem *Nuremberg*, & ibi Ducatum Saxonie & Brunsvicæ & omnia beneficia quæ Imperator ab Episcopis & Abbatibus habuit in beneficio, suscepit. Et ibidem pollicetur eidem Imperatori auxilium contra *Fridericum* Ducem Svevorum, & *Conradum* fratrem ejus, Ducem Franconiæ. Licet autem in Bavaria litem haberet contra quendam nobilem *Fridericum*, Ratisponensis ecclesiæ advocatum, cujus Castrum fortissimum *Falchsstein* obsidione cinxit: relictis tamen in obsidione militibus, festinavit focero suo venire in auxilium. Imperator quippe *Lotharius* eo tempore obsederat *Spiram* civitatem, eo quod civitas illa

(a) *Errores.*

illa faveret *Friderico & Conrado* Ducibus. Ad cuius auxilium adduxit milites DC. aut amplius; quos tamen ultra Rhenum apud se prope collocavit, ut impetus & irruptiones *Friderici* Ducis præcoveret. *Fridericus* tamen Dux, utpote armis strenuus, quadam nocte in castra ipsius irruit, Sane *Hainricus* præmonitus fuerat; armisque & equitaturis instructus, ad fugam eum compulsi, & ita fugientem usque *Gruningen* insequitur. Deinde mediante Moguntino Archiepiscopo, *Spiren-* les in gratiam Imperatoris redeunt; castrum quoque supra dictum *Falchenstain* à Duce *Hainrico*, in Bavariam regresso, capitur. Non multo post *Fridericus* Dux, memor pristinae injuriæ, *Altorf*; & *Ravenspurch* armata manu invasit; ubi quosdam captivavit, & villas circumquaque, & *Me-* *dingen*, incendio devastavit. Sequenti vero æstate *Hainricus* Dux cum exercitu copioso fines *Fr-* *derici* Ducis ingressus, a Villa *Tuyendorf*, quæ est in ripa Danubii, incipiens, & ultra *Stophen* per- veniens, omnia circumquaque in transitu & in reditu incendio & præda devastat. Post hæc, re- diens in Bavariam, bella plurima peregit: videlicet contra Episcopum Ratisponensem *Hainricum*, virum de nobilissimis Bavariæ, patrum *Otonis* Comitis de *Wolfrathausen*, & contra supradictum *Fridericum* advocatum Ratisponensem, & dictum *Otonem* de *Wolfrathusen*. Hic quoque in auxi- lium suum habuerunt *Leopoldus* Marchionem Orientalem: qui omnes congregato copioso exerci- tu, castra juxta *Iserum* fluvium posuerunt, ut attemptarent Ducem de finibus illis expellere. Cæterum Dux acies suas ordinavit è contra, cumque pugnam inire debuissent; *Otto* Palatinus de *Wittelsbach*, considerans periculum utriusque partis, mediatorem se interpoluit, & sive minis sive promissionibus, sæpe dictum *Fridericum* advocatum, consobrimum suum, & *Otonem* Comi- tem, generum suum, ad hoc induxit, ut in potestatem Ducis, se traderent, & Castrum *Wolfrath-* *hausen*, quod milites Ducis dudum obsederant. Dux itaque *Otonem* ipsum Comitem, custodiæ militum deputatum, abduxit, & castrum cum ædificiis incendit. Postmodum quoque Episco- pus Ratisponensis in gratiam Ducis rediit, & comitatum, quem habet Episcopus Ratisbonensis circa *Ennum* fluvium, ei in beneficio concessit; sicque factum est, ut bella quiescerent in Bavaria. Imperator vero *Lotharius*, ab urbe post coronationem rediens, Germaniam ingreditur. Non multo post generalem curiam in *Babinberch* circa mediam quadragesimam celebrans, *Fridericum* *Svevici* & *Conradum* Franconiæ Duces, fratres, interventu *Clarevallis* Abbatibus *S. Bernhardi* in gratiam recepit. De hoc habetur de elec. c. ven. Anno 1136. *Hainricus* filius præfati Ducis *Hain-* *rici* (Pater *Otonis* post perbreve tempus imperatoris) in Pentecoste baptizatus est. Eodem an- no Imperator exercitum, non ut prius parvum, sed copiosum & electum, per vallem Tridentinam in Italiam duxit, totamque citeriorem & interiorem Italiam in deditionem accepit. Dehinc con- tra *Ruggerium* Comitem, qui se contra Papam erexerat & Regnum Siciliae occupaverat, aciem dirigens, *Campaniam* & *Apuliam* peragravit. Porro hic *Hainricus* Dux Noricorum, qui cogno- minento vocabatur Superbus, gener Regis, exercitum ducens per Tusciam, quam ab Imperatore in beneficium obtinuit, Romamque veniens, summo Pontifici *Innocentio* usque ad Imperatorem con- ductum præbuit: *Welfo* vero frater ejus duxit M. D. milites. At *Hainricus* Dux cum militia Ba- venarum *Beneventum* cepit ac Papæ restituit. Nam apud *Albam* suburbia civitatis, ubi resistere nitentis, ante expugnaverat atque destruxerat. Itaque *Augustus*, ejus de Campania ac *Apulia*, *Ruggerio*, *Reginaldo*, viro forti ac nobili, Ducatum *Apuliae* tradit, relicta sibi parte militum: et sic Princeps victor de reditu disponit.

Igitur *Lotharius* ex Italia rediens, apud *Tridentum* in silva, quæ est inter *Ennum* & *Licum* morbo correptus, in ipsis montibus, in vilissima casa Imperator potentissimus miseram humanæ conditionis relinques memoriam, obiit in die *S. Nicolai* Episcopi anno Christi M.C.XXXVIII. Regalia Dux *Hainricus* gener ejus, in cuius finibus obierat, accepit. Locupletissimus *Heinricus* *Friulingensis* Episcopus tunc obiit 1139. Ecclesia *Ostervovenensis* de consilio Domini *Norperti* *Maidbur-* *gensis* Archiepiscopi per *S. Otonem* *Babenbergensem* Episcopum data est ordini *Præmonstratensi*, quam prius inhabitaverant *Seculares* *Canonici* per centum annos. Sane anno Domini M.C. XXXIX. circa mediam quadragesimam in *Confluentia* *Conradus* Dux Franconiæ est in Regem ele- ctus. At hic *Hainricus* Dux Noricorum tunc præcipui nominis & dignitatis in regno, [quia] præ- nota superbiæ pene omnium, qui in expeditione Italica cum *Lothario* Imperatore fuerant, odium contraxit, huic electioni interfuit, Regemque non legitime, sed per subreptionem electum calu- niabatur. Cui in proxima Pentecoste generalis curia *Babinbergæ* indicitur; quo *Hainricus* regalia servans non pervenit. Ad quæ reddenda in vestivitate Apostolorum *Petri* & *Pauli* dies ei præfigitur *Ratispona*. Quo veniens regalia quidem reddidit, sed ante conspectum Regis non admisit, & elatus, sed nutu Dei humiliatus, misericordiam peteret nec impetraret: tandem iudicio Prin- cipum apud *Herbipolim* proscribitur, ac in proxima nativitate Domini 1140. in Palatio *Goslariensi* Ducatus ei abjudicatur; & mirum dictu, princeps ante potentissimus, & cujus auctoritas, ut ipse gloriabatur, a mare usque ad mare, id est, à *Dania* vel *Danubio* usque in *Siciliam* extendebatur, in tantam brevi humilitatem venit, ut, pene omnibus fidelibus deficientibus *Bajoaria*, clam inde egressus, quatuor tantum comitatus sociis, in *Saxoniâ* veniret. At Rex Ducatum *Saxoniæ* *Alberto* *Marchioni*, consobrino ejusdem Ducis; *Noricum* vero post, in *Bavariam* veniens, *Leo-* *poldo*

poldo juniore, Leopoldi Marchionis orientalis filio, fratri suo ex parte matris, tradidit; & ex hinc provincia nostra multis malis, subjacere cœpit. Hainricus vero Dux, Saxoniam ingressus, curialem & miserias suas fidelibus & amicis suis exponeret, ad rebellandum eos Regi *Conrado & Alberto* excitavit. Unde etiam eundem Albertum; auxilio eorum, nec non & suorum, qui de Bavaria & Svevia occulte eum infecuti, sub spem peregrinationis terram intraverant; adeo humiliavit, ut castris ejus dirutis, terrisque circumquaque vastatis, ad Regem auxilii gratia ire compelleret.

De Marchione Leopoldo Duce Bavaria, filio Sancti Leopoldi.

L Leopoldus Marchio, suscepto à Rege Ducatu Norico omnibus pene baronibus, ad eundem Ducatum pertinentibus, amore seu terrore ad eum confluentibus, primo metropolim ac sedem Ducatus *Ratisponam* ditioni suæ subdidit: post collecto milite copioso, superiores partes Bavariæ pertransiens, in ipso ejus termino juxta *Licum* fluvium contra urbem Augustensem negotia terræ per triduum tractans, strenui judicis officium exercuit; sed, amissis aliquot de suis, festinante revertitur. Non multo post *Hainricus* Dux, dum in Saxonia omnibus suis rite dispositis, in Bavariam redire disposuisset, morbo correptus, diem clausit extremum, ac in manasterio *Luther* juxta Socerum humatur anno Domini M.C.XL. Quo mortuo, Saxones amore filii sui parvuli, quem eis adhuc vivens commendaverat, Regi denuo rebellant: *Guelfo* vero, frater ejusdem *Hainrici* Ducis, eodem anno in Idibus Augusti *Leopoldum*; qui, Ducatum Noricum se potenter habere confidens, dum in obsidione castri *Valeia* duorum fratrum, qui soli ex Noricis baronibus in parte Ducis *Hainrici* steterant, incaute moraretur; superveniens ex improvise, fortissime pugnando, cæsis ex utraque parte pluribus, multis captis, ipsum Ducem *Leopoldum* ignominiose fugere coegit. Ipse enim *Guelfo* præfatum Ducatum jure hereditatis ad se spectare proclamans, dum justiciam apud Regem *Conradum* impetrare non posset, ad rebellionem se parat. Ob hoc Rex circa idem tempus castrum ejus *Winnesberg* obsedit. Quem *Guelfo* collecto milite in die S. Thomæ Apolloli, dum incaute pugna aggredi attentat, amissis aliquot, multis captis, cum paucis fugit e prælio. Non multo post, *Leopoldo* in urbe *Ratispona* civilia jura disponente, ex Palatini Comitibus de *Witenspach* *Ostons* importunitate seditio oritur. Dux cum suis, populo circumquaque concurrente, arma arripuit, succensisque aliquibus urbis vicis civibus tam armorum quam incendii metu efferventibus, periculum evadens, urbe recessit, ac, vastatis in circuitu agri ad tempus inde circumventens, collecto milite, non longe à civitate castra posuit; tandemque terrore percultos cives pacis pactione in deditionem accepit. Dehinc dedecus, à *Guelfone* sibi apud *Valaia* castrum, quod modo vulgariter vocatur *Achaimstain*, illatum ulcisci statuens, armata manu ad *Licum* usque progreditur: ibique destructis quorundam inimicorum munitionibus, cunctis circumquaque vastatis, per fines ecclesiæ *Frisingensis*, cum multo ejusdem ecclesiæ detrimento, revertitur. Ipse vero Dux *Leopoldus* non multo post *Ratispona* infirmatus, in territorio Pataviensi diem obiit, & in monasterio S. *Crucis*, quod à patre suo S. *Leopoldo* Marchione fundatum erat, ipseque plurimum ditaverat, humatur; eique in Marchia orientali, quæ modo *Austria* dicitur, successit frater eius *Hainricus* anno Domini M. C. XLII.

De fratre ejus, Marchione Hainrico, Duce Bavaria, demum Austria.

Hainricus Marchio orientalis frater præfati Ducis *Leopoldi* & *Ostons* Episcopi *Frisingensis*, fundatorum monasteriorum *Novæ Cella* & *Scheftlarn* ordinis Præmonstratensis, ac Collegii Canonicorum *Sliezsee*; filius S. *Leopoldi* confessoris, Huic Rex *Conradus*, frater eorum uterinus, Saxoniam ingressus, pacemque cum Saxonibus faciens; *Gerdrudim*, Viduam Ducis *Hainrici* suæ perbi, in uxorem dedit eique Ducatum Noricum, quem consilio matris, Ducis *Hainrici* filio jam abdicaverat, concessit anno Christi M.C.XLII; Quæ res in terra nostra Bavaria maximæ discordiæ seminarium fuit.

Guelfo enim Princeps, ut dictum est, præfatum Ducatum ad se jure hereditatis pertinere calumnians, extemplo armata manu, in præsentia hujus *Hainrici*, Bavariam ingreditur, partemque provinciæ vastata, regreditur. Ob hoc *Hainricus* ille inflammatus, coadunato immenso milite, fines nostros (a) & illorum, qui *Guelfonis* fautores erant, ingressus, munitiones illorum & villas destruxit, multisque ecclesiarum redditibus direptis, tandem etiam ipsius nostræ *Frisingensis* civitatis munitiones propter quosdam ex ipsa, qui fautores *Guelfonis* dicebantur destruxit. Cui dum *Guelfo* cum copiis restaurato milite occurrere parat; audito, quod Rex superventurus erat, cessit. Porro *Hainricus* ille simul cum Rege castrum *Tachowe* scilicet Comitibus *Conradi*, qui ex parte

Guelfonis

(a) *Frisingenses.*

Guelfonis erat, obsidione clausit: Vastatisque in circuitu universis, adjutorio Regis, ad deditio-
nem coegit, ac igne succendit. Sic tota illa provincia maximo bellorum discrimine laborabat,
interea *Rogerus* Rex Siciliae, audiens bellum inter *Guelfonem* & Regem; timens, ne forte cessante
Guerra, *Conradus* Rex quandoque Italiam intraret, ac eadem, quae a *Lothario*, ab eo quoque
perperurus esset: *Guelfonem* adversus eundem muneribus illectum incitat, singulisque annis mille
marcas se ad hoc daturum juramento confirmat. *Geisa* quoque Rex Hungariae, eundem *Conra-*
dum metuens, *Guelfonem* ad se accersivit, dataque pecunia non modica, ac deinceps omni anno
dandam pollicens ad rebellandum nihilominus instigat. *Guelfo* itaque strenui militis exercens of-
ficium in *Bavaria*, modo in transalpinis partibus *Sveviae*, circa *Rhenum*, tot tempestates bellorum
movit, ut Regem *Conradum* potius ad defensionem sui, quam ad exterarum nationum invalio-
nes excitaret.

De captione Comitis *Conradi de Dachau*.

Reverat autem *Fridericus*, *Friderici* Ducis *Sveviae* filius, & Comitem quendam nobilem *Hain-*
ricum de Wolfradesbausen hostem denunciatus, *Bavariam* cum magna militum copia ingreditur.
Noricis, & maxime *Comites* & nobiles, in praedicti Comitis castro se recipiunt. Itaque strenuissi-
mus superveniens adolescens, *Noricos* ante murum stantes ipsumque armatos expectantes, viri-
liter aggressus est, diuque & fortiter utrisque pugnantibus in tantum, ut hostes castro se recipere-
rent; versis in fugam *Noricis*, ac ex angustia portarum artatis, Comes quidem *Conradus de Dachowe*,
tunc nobilis Comes, postea Dux factus *Croatia & Dalmatia*, qui incautus extra remanserat, ab ho-
stibus circumdatus capitur. Sicque adolescens, praefatum ducens Comitem, ad propria cum victo-
ria revertitur. Cumque a multis sibi vaderetur, ut pecuniam multam ab eo extorqueret; Ipse
ex innata sibi nobilitate, pravorum declinavit consilia. Nam sicut fortiter captum, sic eum libera-
liter dimissum, ad propria redire sine pecunia exactione permisit. Ea tempestate ubique terrarum,
bellorum turbine orbem replente, fermeque totum Imperium seditionum motibus involvente;
nam & in *Alemannia* inter praedictum adolescentem *Fridericum* & praenominatum Ducem *Conra-*
dom dissensionis malum agitabatur; in *Bajoaria* inter *Heinricum*, *S. Leopoldi* Marchionis filium,
ejusdem terrae Ducem, & *Heinricum* *Ratisponensem* Episcopum gravissimum bellum excitatum,
indies augmentabatur. In *Belgica Gallia Albrione* (a) *Treverorum* Archiepiscopo & *Hainrico*
Namurcensi Comite debellantibus: in (b) *Polonia* quatuor fratres tribus cum quarto pro Ducatu
contendentibus, maximam effusionem sanguinis minabantur. Igitur eo tempore quo dictus
Hainricus *Noricorum* Dux, cum praenominato *Heinrico* *Ratisponensi* Episcopo civibusque suis, ac
Sirensi Marchione *Odoacro* gravissimam guerram agitabat; quidam milites de orientali
Marchia egressi, *Pannoniam* latenter ingrediuntur, ac noctu castrum (c) *Posan*, quod
vulgo *Presburg* dicitur, quod olim Imperator *Hainricus* III. obsidione cinxerat, ex
improvviso aggressi, capiunt, quibusdam comprehensis, aliis per fugam elapsis. Quod
audiens Hungariae Rex *Geisa* caeci *Bela* Regis primogenitus: praemissis quibusdam
comitibus, qui, quare vel qualiter hoc factum fuerit, inquirent; ipse eos securus, ad liberatio-
nem castri cum magna Hungarorum properat multitudine. *Comites* qui praecesserant, ab
epidanis, cujus rei gratia tam gravem Regi intulerint injuriam, solerter percundantur. Qui re-
sponderunt: se nec pro Romanorum Principe, nec pro Duce suo H. hoc fecisse, sed pro Domino
suo *Boricio*. Erat autem *Boticius Colomanni*, quondam Regis Hungariae filius, sed ab ipsis regni co-
lonis reprobatum praedictum Regnum Hungariae (ut in *Chronica Hungarorum* dicitur) jure haereditario
repetens, ac ob hoc adipiscendum utrosque principes, Romanorum scilicet ac Graecorum
frequenter sollicitans, multosque ex militibus nostris ad favorem suum pecunia inducens. Igitur
Geisa Rex Hungarorum superveniens; castra quoque ponens, oppidum cinxit, diversis instrumen-
tis tormentorumque generibus adhibitis, ac sagittariis opido circumfusis.

Teutonici, eo quod Dux in superioribus *Bavariae* partibus moraretur, Princeps in remotis
regni remaneret locis; cum nullum liberationis solatium haberent, de facienda cum Hungaris pace
mutuo colloquentes, accepto a Rege sub jurejurando promisso trium millium librarum in pondere,
castrum ei reddunt. Rex autem Hungarorum, damnum sibi a *Teutonicis* illatum graviter ferens,
Hainricum Ducem *Noricum*, Marchionem *Austriae*, habens suspectum, hostem denunciat exer-
citurumque maximum per totam regni sui latitudinem colligit. Igitur Rex ad portam *Mesiam* [*Mesiam*]
LXX. vel Amplius pugnatorum milia habens, erupit, in campoque inter portam praefatam & fluvium
Lube, qui *Teutonice* lingua *Fiervelt*, (d) quod nos vacantem (e) dicere possumus, castra
posuit. Dux etiam cum suis ex *Austria*, *Bajoaria* & *Saxonia* non longe ex altera parte ad fluvium,
qui Imperii Romani & Regni illius ex uno *Danubii* latere (f) (nam ex altera parte *Marcha* est fluvius

(a) *Adelberone*. (b) *Polonia*. (c) *Poson*, infra. (d) est *Lervelt Fierfeld* est campus *ferians*.
(e) *Campum*. (f) *limes est*.

vius) eos convocans, itidem castra metatur mittitque, qui statum hostium, diligenter inquirendo, ediscerent.

Altera die Rex in prædicto campo ad quandam ligneam ecclesiam accedit, ibique ab Episcopis, (nam eousque, in puerilibus annis positus, nondum militem induerat) accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta, armis accingitur. Post hoc ordinat acies, militem instaurat, positus in capite duabus alis, in quibus sagittarii, quatenus vim hostium eminus repellerent, erant, & e regione una magna acie, cui avunculus Regis Belæ, *Ban* nominatus præerat; in propria legione (ut ajunt) plus quam duodecim milia equitum retinens. De hinc fluvium *Lithabe* ex improvise, exploratoribus Ducis non bene, propter quod missi erant, observantibus, transvadando permeat, adposito mox in vicinis igne. Dux itidem acies instituerat, & jam quid facto opus esset consultabat, frustra exploratores qui aut dolo aut pigritia tardabant, expectans. Cumque alii pugnandum, nonnulli ex alio latere annis *Vischabe* super quem residebat, à termino ad duotantum Teutonici miliaria distantem, expectandum, atque robur hostium melius explorandum, consulere; subito fumus apparens ignis hostium certum signum dedit, quibusdam nostris putantibus ac dicentibus, ab hostibus in fugam conversis propria castra ignibus data esse. Itaque Dux est enim manu fortis, mente audax, sed moræ impatiens; subito arma corripit; & secus, quam disciplina militaris & ordo exposcit. non pedetemptim incedens, sed præcipitanter advolans, in hostem ruit, suis gregatim adventantibus, & disrupto Legionum ordine, confuse venientibus. Denique exproperati cursus nimia velocitate sagittariorum impetum, qui in duabus alis positi erant, prævenit, ac illas cum duobus Comitibus, qui eisdem præerant, ferme funditus delevit. Post hæc illas duas magnas acies, Regis scilicet & avunculi sui, Dux impegit; ex Regis legione nullo egrediente, sed tanquam silva fixa immobiliter manente. Jam Hungari de fuga cogitabant, dorsetque vertere volebant; & ecce Teutonici, qui in posterioribus alis Ducem suum sequebantur, fugam ineunt Duce ignorante, vel ea, quæ fiebant, ex pulveris multitudine, qui illis in partibus siccitatis tempore maximus esse solet, conspici non valente. Barbari tunc primo vires sumunt, Ducique, tanquam à suis destituito, circumfunduntur. Dux tunc demum terga hosti dare compegit, ac tam pugnatricis dextræ quam pulveris aërem obducentis beneficio, belli periculo exemptus, in vicinum opidum iens, (a) (quod a Romanis inhabitatum, *Favianis* dicebatur) declinavit. Hungari, usque prædictum fluvium *Vischabe* tantum hostes persequentes, ad propria redeunt, Deum benedicentes. Cecidit in hoc prælio Virorum nobilium & illustrium pars magna; vulgi vero multitudo innumerabilis, major tamen, ut dicitur, ex Hungariis. Item, Comes *Urs* cepit Comitem *Rapolt* Teutonicum, qui jam pridem nocturnis insidiis Castrum *Pajon* occupaverat. Alia reperies in *Chronica Hungarorum*.

De Coronatione Heinrici, filii Regis Conradi.

Conradus Rex Romanorum, Principes convocans *Francofurdia*, ibique filio suo *Heinric* adhuc parvo per Principum electionem Rege constituto, in palatio Aquis eum, Dominica mediante quadragesima, Regem inungi & coronari jubens, Regni participem legit.

De expeditione transmarina.

Ad prædictam curiam *Hainricus*, Heinrici olim Noricorum Ducis filius, qui jam creverat, venit, Ducatum Noricorum, quem patri suo non justè abjudicatum assererat, jure hereditario reposcens; quem Princeps, multa prudentia & ingenio inductum, usque ad reditum suum de transmarinis partibus suspendens, quietè expectare perſevalit. Nam ipse Rex *Conradus*, una cum *Friderico* juniore Duce *Sveviæ*, in transacta nativitate Domini apud *Spiram*, à S. Bernardo crucem accepit. Similiter mense Februario curiam celebrans in *Ratispona*, ibi una & eadem hora acceperunt crucem tres Episcopi, videlicet *Heinricus* *Ratisbonensis*, *Otto* *Frisingenlis*, *Reginbertus* *Pacaviensis*, & *Hainricus* Dux *Noricorum*, frater Regis uterinus; de ordine quoque Comitum nobilium virorum illustrium innumerabiles. *Guelfo* quoque Heinrici prioris Ducis frater, licet nondum sedata guerra, in ipsa præterita Dominicæ nativitate nocte, in propria villa *Witengove* eandem militiam cum multis professus fuerat. Sed & Dux *Boemorum* *Labeslaus*, & *Stirenlis* *Marchio* *Odoacer*, Comesque *Bernhardus* non multo post cum magno suorum comitatu, propter querimoniam transmarinæ ecclesiæ, cruces acceperunt. Itaque hiemalis algoris austeritate deteria, cum veris benigna humiditate ex telluris partu flores & herbæ procrearentur, camporumque viriditas, lætam terræ faciem monstrans, orbi arideret, anno Domini M C. XLVII. Rex *Conradus* à Norico castro procinctum cum suis movens, per Danubium iturus, *Ratispona* naves ingreditur, ac in Ascensione Domini in Orientali Marchia juxta *Burgum*, qui *Ardacher* vocatur, castrum ponens, suos qui

(a) *Vienna*.

quæ jam adventabant, duobus seu tribus diebus expectavit. Inde progrediens, usque ad terminos ferre regni sui procedens, non longe a fluvio *Vischabe* mansionem locavit. Celebrata ibi sancta Pentecoste, cum universis pene copiis suis *Litabe* transiens, in Pannonia tentoria fixit, aliis per Danubium navigantibus, aliis per terram euntibus. Tantam autem post se multitudinem traxit, ut & flumina ad navigandum, camporumque latitudo ad ambulandum vix sufficere posset: quem Francorum Rex *Ludovicus* non multo post cum suis subsecutus est. At *Conradus* Romanorum Princeps, habens in Comitatu suo ex Principibus *Ordelebum* Basiliensem, *Ottonem* Frisingensem, *Heinricum* Ratisbonensem, *Reginbertum* Pataviensem Episcopos, *Arnoldum* Cancellarium suum, *Fridericum* Ducem Bavarorum fratrem uterinum, & *Guelfonem* prioris *Heinrici* fratrem, aliosque Comites, viros illustres & nobiles; permeata magno labore viarum Pannonia & Bulgaria, emensaque, transmissa; Hebro, superiore Thracia ac inferiore, demum exercitus Christianus, navigandi labore dispersus, pelagus operiebat, & quilibet prout & quando poterat, diversa per loca litus attigit. In hoc ergo laborioso itinere, *Conradus* Rex commilitoni suo *Guelfoni*, sic enim eum nominare solebat, sapissime in necessitate subveniebat, ac de omnibus, quæ a Regio fisco Constantinopolitani Imperatoris *Emanuelis* sibi offeriebantur partem illi tradebat. In ipsa autem Pascali hebdomada *Ptolomaida* applicans, ac post paucos dies Hierosolymam veniens, in magna cleri ac populi jocunditate, cum ingenti honore est susceptus. Mortuus tunc fuit in Comitatu Regis Vir clarissimus *Fridericus*, Ratisponensis ecclesiæ advocatus, ac ad urbem sanctam deportatus, & in cimiterio militum templi, non longe ab antiquo templo Domini sepultus.

De Reditu Guelfonis.

Guelfo igitur infirmitate captus ac in desperatione positus, ad reversionem se parat. Transito ergo mari convalescens, Siciliam attigit; ubi *Rogertus* eum cum magno domus suæ tripudio suscipiens, ac honorifice dimittens, iterum ad rebellandum Regi maximis muneribus illectum incitat.

De expeditione Damascena, & reditu Principum.

Rex itaque *Conradus* per aliquot ibi dies in palatio templariorum, ubi olim regia domus, quæ & templum Salomonis constructa fuit, manens, & sancta ubique loca peragrans, per *Samaritam* & *Galilaam* *Ptolomaidem* rediit; omnes adventantes, quos poterat, milites, pecunia ad remanendum inducens. Rex etiam Franciæ *Lodovicus*, idem pro posse suo sectans, de Antiochia reversus, apud *Tyrum* manebat. Ambo itaque inter *Tyrum* & *Ptolomaidam* in loco, qui *Spalina* appellatur, circa nativitatem S. *Johannis Baptistæ* conveniunt. Expleta vero expeditione Damascena, Principes ad propria redire disponunt; Romanus quidem per Græciam, alter vero per Calabriam & Apuliam. Itaque *Conradus* Rex, naves apud *Ptolomaidam* ingressus, ac per æquor navigans, fratrem & amicum suum *Mannuel*, regniæ urbis Principem, in Achaia seu Thesalia finibus conveniens adiit. Cum eo, tanquam ex longa via fatigatus, laboribusque fractus, & non modica infirmitate correptus, per aliquot temporis spatium quievit, habensque secum Basiliensem Episcopum & Cancellarium *Arnaldum*, & *Hainricum* Noricorum Ducem, (nam *Guelfo* Dux per Calabriam & Apuliam reversus fuerat) per Illyricum Dalmaticumque remigrans æquor in proprii Imperii sui finibus apud *Polam*, Histriae civitatem, applicuit. Ibi sonipedem insidens, & per *Aquilegiam* transiens, in *Juvavia* quæ Bavariæ metropolitana sedes esse noscitur, Pentecosten celebravit, expletis ab eo die, quo idem festum in Pannoniæ finibus egerat, duobus annis. Circa idem tempus filius Regis *Heinricus*, quem Regem ordinaverat, diem obiit. Post hoc Palatino Comite *Ottone* ob filiorum suorum excessus proscripto, vicinum ejus castrum, *Chelebaum* dictum, rapido Danubii fluminis ambitu clausum, obsidione cingit, eumque ad hoc, ut unum filiorum suorum obsidem daret, coëgit.

De fine litis Guelfonis.

Sane *Guelfo* reversus in proxima hyeme circa purificationem S. *Mariæ*, collecto milite, fines Regis invadit, ac castrum ejus *Flochberg* forti impugnatione sollicitans, dum in reversione militem nimis diffuse & incaute duceret, à militibus Regis circumventus est, & congressione inita cum paucis aliis circumquaque diffusis, plus ex infortunio quam ex instantia belli, milites *Guelfonis* fugam arripiunt, plurimisque captis, nullo occiso, ignominiose revertuntur, ac sic guerra, diu anxie inter ipsum & Regem agitata, finita est. Nam *Fridericus* Dux Sæviæ, qui post modum fuit Imperator, fratruelis Regis, & filius Sororis prædicti *Guelfonis*, medium se ad compositionem faciendam interposuit, captivosque Ducis *Guelfoni* reddi, ac Regem de cætero securum esse provida deliberatione confirmavit. Rex ergo accepto consilio, *Wetoni* quosdam redditus de fisco regni, cum *Villa Maerclingen* concessit. Rex vero non multo post, omnibus bene in Gallia & Germania compositis, cum etiam, jurata expeditione, in proximo Imperii coronam accepturus esset, morbo corripitur,

ripitur, & *Bamberga* proxima à capite jejunii feria sexta, XV. Kl. Martii vitam finivit. Cujus historiam, maxime transmarinam expeditionem, huic operi inserere curavi, eo quod ibi saepe fit mentio de Duce *Heinrico & Gvelfone*.

* * *

Arbor Gvelfonum.

Generatio Gvelfonum inclyta & nobilissima, & Deo semper devota, Romanaque Ecclesia semper assistens, & Imperatoribus saepe resistens.

Gvelfones creduntur viri inclyti fuisse de gentibus illis, quæ sub *Valentiniano* Imperatore de Scythia erumpentes, partes diversas occupaverunt, & dominatum obtinuerunt, licet ejusdem generis tyranni & nobiles in Genealogia præcesserint, utpote *Warinus & Rutbardus*, qui Beathum Othmarum in insulam Rheni relegaverunt; in qua hodie consistit Monasterium Monachorum, quod vocatur *Stame*. Primus tamen, de quo legitur, ejus generis fuit quidam inclytus, dictus *Eticho*.

ETICHO resedit in villa *Ambergow*, ubi etiam cellam XII. Monachorum construxit, & ibi obiit: quam post mortem patris *Hainricus* transtulit in locum, qui dicitur *Altenmunster*, à nomine *S. Altonis* ibi requiescentis. Inde eosdem Monachos in *Weingarten*, & *Dominas*, quæ ibi erant, in *Altenmunster* transposuit.

HILDEGARDA, quam Imperator *Ludovicus Balbus* duxit in uxorem.

S. CONRADUS, Constantiensis Episcopus Ecclesiæ, & eam multis prædiis suæ proprietatis ampliavit.

HAINRICUS Imperatori homagium fecit, & duxit uxorem de Bavaria de *Hochenwarthe*, *Beatam* nomine, ex qua genuit tres filios.

ETICHO legitimo matrimonio caruit.

RUDOLFUS accepit uxorem de *Oeningin* ITAM nomine, cujus pater CUNO nobilissimus Comes fuit. Mater ejus extitit filia Magni OTTONIS Imperatoris, RICHILINI nomine. Ex ea progeniit duos filios & filiam. Sepulta est in *Altenmunster*.

GVELFO primus, duxit uxorem de gente Salica, de castro *Glitzberg* *Imizam* nomine, *Hainrici* Noricorum Ducis sororem, & *Friderici* Ducis Lotharingorum, & *Albrionis* Mentensis Episcopi. Hic est ille Gvelfo Comes, qui aliquando Imperatori *Conrado* II, auxiliante sibi Duce *Ernesto*, rebellavit. Augustensem quoque Episcopatum & Frisingensem in prælio, quod habebat cum *Brunone* Augustensi Episcopo attrivit & plurimum comminuit. Pro qua re tamen in fine satisfecit, & villas plurimas eisdem Episcopatibus tribuit in tantum, quod judicio frigida aquæ innocentiam suam probavit, & in *Weingarten* est sepultus; & uxor ejus in *Altenmunster*. Hic cum ad senectutem pervenisset, sæpius revolvens mala, quæ Ecclesiis Augustensi & Frisingensi intulerat in bello cum Augustensi Episcopo, cui Frisingensis Episcopus auxilio fuit; ad emendationem cum magna cordis contritione anhelans, quasdam villas juxta modum & qualitatem damni, utrique Ecclesiæ sine dilatione in perpetuam possessionem donavit.

HAINRICUS apud villam *Leunum* in veneratione saxo percussus interiit.

RICHARDA sepulta in *Ebersperg* anno Christi 1009, *Adalpero* maritus ejus ditissimus Comes Bavariorum, cum non haberet heredem, tres Abbatis construxit, videlicet *Ebersperg*, *Geisenfeld* & *Chubach*.

GVELFO II. COMES.

GVELFO III. Dux, vir per omnia probatus. Ducatum Carinthiorum & Marchiam Veronensem acquisivit & strenuè rexit. De eo dicitur, quod contemptum exhibuerit *Hainrico* Imperatori III, eo quod, cum idem Imperator convocasset exercitum suum in Lombardiam apud locum, qui vocatur *Runciale*: iste tertius *Gvelfo* cum armatis militibus suis, quos adduxerat, contra voluntatem Imperatoris recessit ab eo, & neque minis neque promissionibus potuit detineri ab eo. Quod ideo factum est, quia præfatum Imperatorem expectaverat in eodem loco per triduum ultra statutum tempus, & neque per nuncium neque per literas suas acceperat, quibus absentiam suam Imperator excusaret. Alio quoque tempore præfatum Imperatorem verbis suis coëgit, ut Veronensibus mitteret mille marcas, quas ab eis contra iustitiam extorquere voluit. Iste GVELFO III. immatura morte præventus, sine hærede discessit, & omnes possessiones suas Ecclesiis distribui mandavit. Sane mater ejusdem hanc distributionem fieri non permisit; sed potius de Italia revocavit filium præfati Azzonis, nepotem suum *Gvelsonem IV.* eumque hæredem omnium possessionum ejusdem generis instituit.

CHUNZA, quam Azzoni, ditissimo Marchioni Italiae, dedit in uxorem. In dotem quoque dedit eidem curiam nobilissimam, quam habebat in Italia, *Elisnam* nomine, quam & ipse ab uxore sua in dotem acceperat: cujus curiæ mille & centum mansi sunt, uno vallo comprehensi; & genuit ex ea *Gvelsonem IV.*

AZZO Marchio Estensis & Ferrariæ, ex uxore sua *Chunza*, filia *Glelfonis II.*, genuit *Gvelsonem IV.*

GVELFO IV. Dux Baviaræ. Ducavit annis 18. Obiit 1119.

ADELHAIU uxor *Friderici de Rotenberg* super *Neccare*.

GVELFO V. Dux Baviaræ.

HAINRICUS Baviaræ Dux, obiit 1127. ducavit annis 7.

<i>Conradus</i> , HAINRICUS, Dux Baviaræ, dictus Superbus.	<i>Gvelfo Senior</i> , obiit 1177.	<i>Juditha, Ducissa Sveviæ</i>	<i>Sophia, Mathilda, Wifhilda,</i>
HAINRICUS, Dux Baviaræ & Saxoniarum. Obiit in Brunsvica 1197.	<i>Gvelfo Junior</i> obiit 1161.	<i>Adelhait</i> uxor <i>Friderici de Rotenberg</i> , potentis Domini, soror <i>Gvelfonis Junioris</i>	
HAINRICUS Palatinus Rheni, obiit 1217.	<i>OTTO de Brunsvica</i> Imperator.	<i>Wilhelmus Dux.</i>	

Hanc præscriptam arborem de *Welfonum* profapia, non inconvenienter hic interposui, eo quod pluries fit mentio de iis; tum etiam, quia fuerunt Viri strenuissimi & Principes Christianissimi, memoria bona digni.

¶¶¶

Nunc

Nunc igitur revertor ad historiam, ubi dimissa est, & primum

De controversia pro Ducatu Norico inter Henricum de Austria & Hainricum de Saxonia.

ANno ab Incarnatione Domini M. C. LIII. tertia feria post Oculi, quæ fuit tertia Martii, *Fridericus* I. in Regem electus in *Franckfordia*, sequente Dominica Lætare *Aquisgrani* coronatur. De hinc Sanctum pascha *Colonia Agrippina* celebravit. Inde per *Guelfaliam* transiens, *Saxonia* intravit, ibique litem duorum consanguineorum de regno *Dacia* decidit. Omnibus autem bene ordinatis in *Saxonia*, cunctisque Principibus ad nutum suum inclinatis, Rex *Bavariam* ingreditur, ac *Ratispona*, *Norici Ducatus* Metropoli, in festivitate Apostolorum in monasterio Sancti *Emmerani*, (nam major ecclesia cum quibusdam civitatis vicis conflagraverat) coronatus incedit. Erat vero multa serenissimi Principis anxietas, cum omnia prospere in Regno agerentur, qualiter controversia quæ inter carnem & sanguinem, *Hainricum* patrum, & itidem *Hainricum*, avunculi sui filium, Duces, *De Norico Ducatu* agitabatur, sine sanguinis effusione terminari posset. Fuit namque *Hainricus* iste *Hainrici* quondam *Norici Ducis* filius, quem ut supra dictum est, *Conradus* Rex à *Bajoaria* ejectum, in *Saxonia* manere compulit, Ducatumque ipsius primum *Leopoldo*, Marchionis orientalis Sancti *Leopoldi* filio, ac deinde fratri ipsius *Hainrico* concesserat. Rex ergo prædictam litem iudicio vel consilio decidurus utriusque autumnali tempore, mense *Octobri*, civitate *Herbipoli* curiam figit: quo dum alter secundi *Hainrici Ducis* filius veniret; alter se absentans, iterum & iterum vocatur. Sequenti in super anno Rex *Pentecostem Wormatia* ferians; ubi ad curiam prænominati Duces *Henrici* pro Ducatu *Norico* contendentes, venerunt; sed debitum finem negotium habere non potuit! Proximo dehinc mense *Decembri*, utriusque Duces, *Hainricus*, iudicio in civitate *Spira* Principis assistunt: sed iterum altero de legitima se vocatione excusante, res protelatur. Rex itaque *Fridericus*, dum jam fere per biennium ad decidendam litem huiusmodi laborasset; tandem alterius instantia, qui in paternam hæreditatem, à qua diu propulsus fuerat redire cupiebat, flexus: imminente etiam sibi expeditionis labore, in qua eundem juvenem militem sociumque viæ habere debuit; finem negotio imponere cogeatur. Proinde in opido *Saxoniae Goslarie* curiam celebrans, utrosque Duces datis edictis evocavit: ubi dum altero veniente, alter se absentaret, iudicio Principum alteri secundo *Hainrico* *Saxonie* Duci, *Bavariæ Ducatus* adjudicatur. Cum igitur Rex *Fridericus* anno Domini M. C. LVI, Regni vero sui quarto, XIV. Kal. Julii cum benedictione, Imperii Coronam, à Papa *Adriano* accepisset, expleta feliciter expeditione reversus ad familiaria remeans domicilia; in confinio *Ratisponæ* Patrum suum *Hainricum* Ducem alloquitur, ut ei de transactione facienda cum altero *Hainrico*, qui jam, ut dictum est, Ducatum *Bavariæ* iudicio Principum obtinuerat pervaderet. Cui dum ille tunc non acquiesceret, iterum diem alium, quo eum super eodem negotio per internuncios constituit; quo Princeps veniens, cum multis modis ad transigendum operam daret, infecto adhuc negotio, infalutati ab invicem separati sunt. Post hæc mediante Imperatore *Ratisponam*, *Norici Ducatus* Metropolim, quondam Regum modo Ducum sedem, ingreditur curiam celebraturus habens secum *Hainricum*, *Hainrici Ducis* filium, in possessionem ejusdem Ducatus mittendum. Igitur sedente ibi in publico consistorio Imperatore, jam sæpe nominatus *Hainricus* Dux possessionem suam, patrumque suorum recipit sedem. Nam & proceres *Bavariæ* Homagio & sacramento obligantur, imo etiam ne ullam vacillandi potestatem haberent, vadibus obfirmantur. Inde *Fridericus* ad partes *Rheni* se conferens, proximum natale Domino *Wormatia* celebravit, ubi controversiam propter absentiam Principis inter *Arnoldum* *Moguntinum* Archiepiscopum & *Hermannum* *Rheni palatinum* Comitem, magnum Imperii Principem, ortam, sedavit. Denique Imperator *Fridericus* ad *Bavariam* rediens, *Pentecosten* in quodam castro *Otonis* *Palatini* Comitis celebravit. Dehinc feria tertia non longe à civitate *Ratisponæ* Patrum suum *Hainricum* alloquens, Ducem ad transactionem, cum altero itidem *Hainrico* faciendam, inclinavit. Præponebat hic Princeps, si sine sanguinis effusione in concordiam revocare posset. Idcirco consilio Episcoporum aliorumque Principum, curiam ad *Ratisponam*, (ubi consilium pro terminanda duorum Ducum lite publicare debuit) decrevit. Igitur mediante *Septembri* Principes *Ratisponæ* conveniunt, ac per aliquot dies præsentiam Imperatoris præstolantur. Deinde Principe patrum occurrente in campum; (manebat enim ille pene ad duo *Teutonica* miliaria sub *Papilionibus*) cunctisque proceribus virisque magnis accurrentibus, consilium, quod jam diu secretum retentum fuerat, publicatum est. Erat autem hoc summa concordie. *Henricus* major natu Ducatum *Bavariæ* per septem vexilla Imperatori resignavit; quibus minori traditis, ille duobus cum vexillis *Marchiam Orientalem*, cum Comitibus ad eam ex antiquo pertinentibus, reddidit. Exinde eandem *Marchiam* cum prædictis Comitibus de *Bavaria*, quos tres dicunt, iudicio Principum Ducatum fecit, eumque non solum sibi, sed & uxori, cum duobus Vexillis tradidit. Ne vero in posterum ab aliquo suorum successorum mutari posset aut infringi, privilegio suo confirmavit.

mavit. Multa enim *Hainrici* exigebat honestas, ut nomen Ducis perderet, & ut Duces Bavarie minus deinceps contra imperium superbire valerent, Imperator Marchionatum Orientalem à jurisdictione Ducis Bavarie exemit, ei quosdam comitatus de Bavaria adjungendo, & judicariam potestatem Ducis Austriae, ab *Anaso* usque ad silvam prope *Pataviam*, quæ dicitur *Ratenslaa*, protendentem. Nam huc usque quatuor Marchionatus, *Austria, Stiria, Ystria & Cambensis*, qui vulgari-ter dicebatur *de Vobburg*, evocati ad celebrationem curiæ Ducis Bavarie veniebant; sicut hodie Comites ipsius terræ facere tenentur. Acta sunt hæc anno Domini M.C.LVII, Regni ejus V, Imperii vero secundo, ad duo miliaria à *Ratispona*, anno Ducatus *Hainrici XIV*. Ita Imperator ad civitatem, juxta quod præoptaverat, inter patrum & avunculi sui filium terminatâ sine sanguinis effusione controversiâ, lætus rediit. At statim sequenti die in publico residens consistorio, ne Bavaria ulterius totius regni quiete immunis esset, *treugam* à proximo Pentecoste ad annum jurari fecit. Porrò tanta ab ea die usque in præsentiarum, toti Transalpino jocunditas arrisit imperio, ut non solum Imperator & Augustus, sed & *Pater patriæ* jure dicatur. *Fridericus* enim Imperator *Welfon* solum avunculo suo, ut ejus favorem plene obtineret, contulit in beneficium *Marchiam Tuscia*, *Ducatum Spoleti & totam Mathildis Comitissæ terram*: quibus terris potestate plena potitus, suos ibi collocans, filio suo juniore commisit. Anno Christi M.C.LX ipse per vallem *Tridentinam* ad propria rediit. Prædictis autem modis Bavaria integre ac perfectè pacificata fuit.

De *Hainrico Duce Saxonie & Bavariae, filio Hainrici superbi.*

Hainricus Dux Saxonie, *Hainrici* Ducis ejecti, dicti *Superbi*, & *Gerdrudis* filie *Lotharii* Imperatoris filius, à primis cunabulis patre & matre orbatus, ubi primum adolevit, pollens viribus, facie decorus, ingenio validus; non se luxuriæ neque inertie corrupendum, sed, ut mos est Saxonum: *equitare, jaculari, cursui cum equalibus certare*. Et, cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus erat. Is recepto ab Imperatore *Friderico* anno Christi M.C.LVI. Ducatu Bavarie, ut supra dictum est, ubi naturam & mores hominum cognovit, multâ curâ, multo consilio, ad tantam claritudinem in brevi pervenerat, ut bonis vehementer carus; malis maximo terrori esset, adeo ut absentem velut præsentem timendo, leges pacis, quas sanxerat, nemo sine pœna capitis auderet infringere. Hic *Henricus* fundavit monasterium *Ranshoven*, cujus foundationis literarum datum ponitur anno Domini M.C.LVII.

Quomodo Dux Bohemiae Rex creatur.

Sane Imperator *Fridericus* in Bavariam veniens, *Ratispona* curiam magnam cum frequentia Principum in Octava Epiphaniæ agit; in qua curia Dux *Boemorum Bolislaus*, vir ingenio validus, viribus præpotens, consilio, manu audaciaque magnus; cujus ante hoc industria obsequiique multa præcesserant experimenta & maxima virtus claruerat, adeo, ut ob merita sua omnibus carus esset; ab Imperatore & Imperii Principibus ex Duce Rex creatur, anno ab Incarnatione Domini M.C.LVIII. Suscepto itaque privilegio de usu diadematis aliisque Regni insignibus, lætus reverentur. Ibidem etiam patruos suos, *Ottonem* *Frisingensem* Episcopum, & *Hainricum* Ducem Austriae, fratres dissidentes; eo quod præfatus antistes germano fratri, prædia Ecclesiæ sibi usurpare volenti, omnino contradiceret; in pristinam pacem & fraternam concordiam revocavit. Sane anno Christi M.C.LVIII. *Fridericus* Imperator secundam expeditionem movit in Italiam contra *Mediolanenses*, habens secum, inter alios quam plures Principes, *Hainricum* Ducem Bavarie & Saxonie. At *Mediolanenses*, variis modis attriti, pacem petunt per quosdam Principes. Denique pluribus pacis conditionibus *Mediolanum* in gratiam Imperatoris recepta est VI. Idus Septembris. Exhibe Imperator plures ex Principibus redire permisit; Ipse vero ad ordinanda cætera Italiae negotia anno X. tendit. Anno Domini M.C.LIX. *Mediolanenses* denuo rebellant. At Imperator XL. continuis diebus terram hostium vastavit. Post vastationem hostium, *Laudam* pergit, ibique Italianum exercitum dimittit; copias enim militum de transmontanis expectabat. Inter hæc *Mediolanenses* variis modis, sed frustra, in vitam Principis sævierunt. Interea Imperatrix Domina *Beatrice*, *Hainricus* Dux Bavarie & Saxonie cum M. CC. locicatis, *Conradus* Augustensis Episcopus suo adventu nostris lætitiâ, hostibus metum inculcant. Non multo post avunculo Imperatoris *Gualfo*, Princeps Sardinie, Dux Spoleti, Marchio Tuscie, novum adducens exercitum cum multo apparatu, advenit circa *Michaëlis* cum trecentis locicatis. Imperator igitur partem unam cum *Cremensibus* contra civitatem *Cremam* dirigit, quæ tum per VI. menses obsessa fuerat; at per *Peregrinum* & *Hainricum* Ducem Bavarie inducti *Cremenses*, civitatem dederunt VI. Kal. Febr. anno Domini M.C.LX, ipsumque castrum flammis traditum & militibus ad diripiendum permissum est. Hic Dux *Hainricus* ingens Imperatori adiutorium in Italia contra hostes præbuit. Itaque hi duo VI. sanguine conjunctissimi, utpote unus eorum alterius fratris filius, diversis inter se virtutibus certabant. *Gualfo* dando, sublevando, ignoscendo; Dux *Hainricus* severitate & malorum pernicie gloriam adeptus est. Illius facilitas, hujus constantia laudabatur. *Gualfo* negotiis amicorum intentus,

tentus, sua negligere, nil denegare, quod dono dignum esset. Magnas potentias affectabat, exercitium belli novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. Ad *Hainricus* Dux studium modestie decorisque prætendens, non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed pro pacis negotiis absens similiter præsensque pugnabat. Ejus studium, ut de quodam dicitur, modestie decoris, sed maxime severitatis erat. Cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat. Ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illam assequeretur. In omnibus gloriosus, plurimum facere & minimum ipse de se loqui. Ita memoria nostra ingenti virtute diversis moribus fuere hi Viri duo, Dux *Heinricus* & *Guelfo*. Interea Dux *Heinricus* decem de militibus Mediolanensium captivavit, & eos Imperatori tradidit: quos in conspectu Civium suorum patibulo appendit. Jam Imperator tertio rura Mediolanensium vastavit; ubi quidam Principes ad sua negotia recesserunt. Tunc *Guelfo* totam militiam suam in *Tuscaniam* movens, maximum conventum apud *Sanctum Genesium* habuit, ubi Baronibus terræ septem Comitatus cum tot vexillis concessit. Cæteris quoque, de Civitatibus seu Castellis ad se confluentibus, unicuique, quod suum erat, tribuit: sed & ipse sua, quæ singulæ civitates ad se injustè contraxerant, recepit. Denique conventu soluto, à *Pisanis* & *Lucensibus* & aliis civitatibus, ad quas cumque decurrerat, honestissimè suscipitur. Sic quoque terrâ illâ, & *Spoletanâ*, plena potestate potitus, & suos ibi collocans, filio suo *Guelfo juniori* commisit eandem, strenuissimos de suis militibus & optimos apud ipsum relinquens. Ipse per Vallem Tridentinam redit ad propria; *Guelfo* vero junior excellentissime terras possedit, rex atque defendit, ita, ut etiam multotiens militibus Imperatoris, volentibus terram lædere, violenter resisteret. Propter quod maximum favorem populi acquisivit, & Imperatoris offensam nonnunquam incurrit.

Anno Domini M. C. LXI. Imperator à Mediolanensibus fugatus est, Anno Domini M. C. LXII. Mense Martio Mediolanensibus se & sua, & ipsam urbem in manus Imperatoris tradiderunt. Cumque sine omni conditione tradita esset ei potestas super urbem Mediolanensium, noluit tamen face- re stragem super perfidos & perjuros homines, sed permisit eis potius tempus pœnitentiæ, ita, ut muros altissimos civitatis penitus diruerunt; turres quoque & ædificia civitatis funditus subver- rent & de civitate exirent. Referunt quidam, quod subversa civitate Imperator trium Magorum corpora *Renaldo* Archiepiscopo Colonensi dedit; qui ea Coloniam misit. Augustus vero, nobili potitus triumpho, in olivarum festo in Beati Ambrosii basilica, unaque cum oliva triumphali victo- riæ palmâ. Proinde apud *Ticinensium urbem* in festo Paschæ cum conjuge sua *Beatrice*, multis stipa- tus Principibus, coronatus processit, & ad convivium omnes, tam cives quam adventantes, con- vocari præcepit.

Eodem anno 1162. apud *Constantiam* in festo S. Clementis factum est dissidium inter *Hainri- cum* Ducem Bavarie, & uxorem suam *Clementiam*, filiam *Conradi* Ducis *Zaringie*, quod de consilio Imperatoris dicunt factum fuisse. Duxit quoque prætatus Dux uxorem filiam *Heinrici* Regis *Anglia*, qui *S. Thomam Cantuariensem Episcopum* occidit, & dignum martyrem Deo effecit; de qua genuit tres filios: *Hainricum*, qui postea fuit Palatinus Rheni, & *Ottonem* qui modico tempore tunc fuit Imperator, & quendam *Wilhelmum*.

Multa quidem & alia *Fridericus* Augustissimus in Italia fortiter gessit, quæ non sunt hic in- ferenda; sed horum propterea mentionem feci, quia Dux *Heinricus* semper eidem in his omnibus uti fidelis propugnator, cum copiis suis assistit.

Anno Domini M. C. LXIII. Imperator rediit in Alemanniam. Eo anno *Hugo* Comes Pala- tinus de *Touingen* in Comitatu, quem à Duce *Welfone* habuit, quosdam milites *Welfonis*, pro suis excessibus captivos, suspendit & castrum eorum *Moringen* destruxit; pro quo Dux *Welfo*, que- rimonia eum impetens pro satisfactione debile responsum accepit. Cumque patienter sustinisset, nec à querimonia cessaret: procedente tempore pater Dux filium de Italia revocavit. Ipse illuc- turus, & negotia terræ per se tractaturus, filio omne patrimonium & possessiones, quas ex parte matris habiturus erat, ex integro tradidit.

Anno Domini M. C. LXIV, factum est, ut *Guelfo* junior propter præfatam discordiam cum multis Principibus & Baronibus terræ exercitum deduceret ad castrum *Touingen*: in quo exercitu fertur tabuisse militum sive armatorum duo millia, ducentos, vel amplius. Hi omnes 8. Idus Se- ptembr. circa vesperam Sabbathi non longe à *Touingen* castra posuerunt, & diem Dominicum in quie- te & otio deducere statuerunt. Cumque die Dominico multi de nobilibus & Principibus de faci- enda concordia & pace plus laborarent & orarent: quidam protervi & minus cauti de castris *Welfonis* eruperunt, & castro *Touingen* appropinquare cœperunt: quibus alii de Castro obviam pro- cesserunt, sicque inito conflictu, ortus est tumultus in castris utrimque, & veloces advolare: quod factum est circa horam nonam diei. Comes quoque *Heinricus de Veringen* vexilliter fuit *Welfonis*; & in comitatu suo fuerunt cum præfata turma militum, tres Episcopi *Augustensis*, *Spirensis*, *Wormatiensis*: *Berchtold* Dux de *Zaringen*, *Berchtoldus* Marchio de *Vohenburch*, *Hermannus* Mar- chio de *Baden*, *Rudolfus* Comes de *Phullendorf*, *Adelpertus* Comes de *Habenspurch*, duo fratres Comites de *Chalwe*, duo fratres Comites de *Berge*, *Gotheфридus* cum R. fratre de *Rumesberg*, *Hartmannus* Comites de *Chilperch*, *Heinricus* Comes de *Feringen*, *Conradus* advocatus *Constantiensis*, cum

cum cæteris terræ nostræ incolentibus, in duobus millibus & CC. armatorum & eo amplius; & alij Marchiones & Comites quam plurimi.

In auxilium vero *Palatini* erat *Fridericus* Conradi Regis filius, & *Zolvensis*, & alii quam plurimi, multum tamen impares tantæ adversariorum multitudini. Inito itaque conflictu, de castro super adversarios acclamatum, & ex firmioribus locis contra eos pugnatum est, ita, ut in fugam tanta multitudo verteretur. Sed neque fugere potuerunt; nam dispersi sunt & confusi, ita, ut ex eis non genti fere in captivitate traherentur. Et alii nemoribus & speluncis affugerunt. Ipse quoque *Guelfo* ad castrum *Achalm*, duobus vel tribus comitatus, aufugit. Anno M.C.LXXV. *Guelfo senior*, audito tali infortunio filii sui, de Italia rediit, & cum Imperatore hoc egit, ut captivi remitterentur. Facta est pax, quæ tamen uno tantum anno duravit.

Anno Domini M. C. LXXI. ordinantur Canonici Regulares in *Salzburgha*. At *Welfo* [memor] injuriæ pristinae, terram *Palatini* rursus depopulatur, duoque castra ipsius, *Kelmuntz* scilicet & *Vilard* struit, in quibus LX. de suis captivavit. Tunc *Palatinus* fractus animo, *Fridericum* Ducem, qui *Welfoni* plerumque adversabatur, interpellavit. Qui ejus consilio Ducem *Boëmorum* cum gente sua sævissimam usque ad lacum *Lemanum*, immaniter vastaverunt, & suis spurcillis scedaverunt. Tandem tamen de prudentia Imperatoris factum est, ut dictus *Palatinus* in manus *Guelfonis* & potestatem ipsius omnino se traderet apud *Ulimam* coram Imperatore namque exercitum contra Romanos movere decreverat, & ideo in *Alemannia* pacem reformavit.

An. Dom. M. C. LXXVII. *Guelfo senior* circa Epiphaniam Domini jam secundo iter *Hierosolymitanum* aggreditur, & in Italia Imperatorem reperiens, filiumque suum cum omnibus ad se spectantibus gratiæ eius commendans, pascha Sanctum apud sepulchrum Domini peregit. Interea Imperator *Guelfo juniorem*, multis illectum promissionibus, ad se in Italiam revocat cum aliis Principibus, qui post eum remanserant; qui stipendiis acceptis ad ipsum pervenerunt non longe à Roma. Cumque mense Julio circa Romam Imperator magnam vastationem & stragem populorum faceret, & *Guelfo senior* reversus esset ad ipsum; hæc tanquam detestabilia aspiceret non potuit, sed ad propria rediit, filium suum relinquens ibidem. Mox ultio divina subsecuta est. Maxima enim pars exercitus Imperatoris mortalitate interiit: *Coloniensis*, *Spirensis*, *Ratisponensis*, *Pragensis*, *Verdenensis*, *Leonienfis* *Episcopi*; *Fridericus* Dux *Sveviæ*, *Guelfo junior*, *Berengarius* Comes de *Sultzpach*, *Heinricus* Comes de *Touingen*, cum pluribus regni hujus majoribus, occubuerunt. Translata sunt autem ossa *Guelfonis*, & in monasterio *Staingadensi*, à Patre suo fundato, reposita sunt.

Anno Domini M. C. LXXVIII. & sequentibus annis, prout opportunitas temporum concessit, cepit Imperator in partibus *Tusciæ* & terræ *Romanæ* castra ad se spectantia suæ potestati vindicare, & quædam nova construere: in quorum præsiidiis teutonicos præcipue collocavit. In monte siquidem *Radacophano* eminentissimum castrum ipse primus construxit; ex quibus Romanos adeo perdomuit. ut *Alexander* verus Papa coactus secederet ab urbe, & in partes *Franciæ* seu *Angliæ* vel *Aquitanæ* seu *Hispaniarum* se conferret. Nam exortum schisma durabat in tantum, ut mortuo *Octaviano Wido* in Papam eligeretur: quo defuncto, tertius successit *Johannes Strumensis*; quos Antipapas Imperator fovit & manu tenuit in apostolica dignitate.

Anno Domini M. C. LXXV. *Alexandria* obsessa est ab Imperatore *Friderico*. In hac obsidione Imperator non profecit. Nam *Hainricus* Dux *Bavariæ* & *Saxonæ* nepos suus perfide vel potius religiose ab eo recessit, sumpta occasione de excommunicatione Imperatoris, & Schismate in ecclesia. Quem, ut referunt homines, secutus est Imperator, & ad ipsum veniens super lacum *Cumanum*, cum magna humilitate postulavit, ut se non desereret: ita, ut videretur pro tali petitione ad pedes ejus se velle demittere; quod Dux discretè recusavit. Quidam autem ipsius Ducis officialis, *Jordanis* nomine, narratur superbe dixisse: Sinite Domine, ut corona Imperialis veniat vobis ad pedes, quia veniet & ad caput. Tunc Imperator compulsus exercitum suum dimittere, cum maximo labore de Italia in *Burgundiam* ivit.

Qualiter Hainricus Dux Bavaria in indignationem Imperatoris pervenerit, & ab eo proscriptus fuerit.

Tandem veniens in *Alemanniam*, præfatum Ducem de crimine læsæ majestatis impetivit. Dux siquidem ipsum præveniens, in *Svevia* fecerat conspirationem contra Imperatorem, præcipue cum *Zolrensibus* & *Veringensibus*, & quibusdam aliis Comitibus. At Imperator ipsum Ducem frequenter evocat ad curiam, ad objecta responsurum. Ibi quidam Principes & Barones, fautores Ducis, more *Teutonicorum*, qui sine causâ & ratione voluntatem suam pro jure statuunt, contra Imperatorem hoc jus tenere volebant, ut Imperator Ducem condemnare non posset vel tetras suas abjudicare, nisi intra terras Ducis placitum statueret. Porro quidam nobilis exurgens in medium proposuit, quod lege duellionum, quæ & lege & ratione firmatur, hoc vellet obtinere contra quemlibet, secum pugnare volentem. Quod Imperator quemlibet Principem posset

evocare

evocare pro iustitia ad locum, quemcumque vellet, intra terminos sui Imperii existentem. Cumque nulus isti se offerret ad pugnam, edicto Imperatoris præfata sententia pro jure perpetuo statuta est; quam non dubium est auctoritate & ratione firmari. Cumque Imperator in opido *Gemunden* in publico consistorio in præsentia quorundam Principum, præfato Duci *Heinrico* abjudicasset Ducatus suos & alii bona: singula concessit his, quibus apta erant, ad retinendum anno Domini M.C.LXXX. Sicque factum est, ut Ducatum Noricum concederet *Otoni Palatino de Witeluspach*: qui fretus auxilio fratrum suorum *Conradi* videlicet Saltzeburgensis Archiepiscopi, qui ante & postmodum fuit etiam Moguntinensis Archiepiscopus *Otonis* quoque fratris sui, quem effecit Palatinum in *Witeluspach*, cujus filius *Otto* postea *Philippum* Regem interfecit; nec non & *Friderici*, qui dicebatur *barbatus*. Horum, inquam, auxilio Ducatum viriliter obtinuit, & Ducem *Henricum* de partibus illis expulit Ducatum vero Saxoniam contulit cuidam nobili *Alberto*, Comiti de Anhalde, filio *Hainrici*. Huic auxilium præbebant *Coloniensis* Archiepiscopus *Philippus*, *Moguntinus* & *Landgravius de Thuringia*; qui impugnantes ipsum Ducem, Saxonia intra unum mensem de castris ipsius firmissimis XVI. expugnaverunt, & ipsum de terra usque ad *Brunsvicam* expulserunt, de qua civitate nec ejus progenes adhuc potuit expelli. Imperator vero bona ipsius multis distribuit, præter ea, quæ *Guelfoni* patruo ejusdem *Henrici* & suo avunculo dereliquit; quæ tamen omnia postmodum sive hereditaria successione, sive fiscali, Imperatori cesserunt. Hic est ille *Hainricus*, qui Ducatum Bavarie XIV. annis tenuit, & ultimo Ducatus sui in Bavaria anno forum in *Veringen*.

*De fori & pontis in Veringen destructione, & in Villam
Munchem per Ducem Hainricum trans-
latione.*

Cum ponte forum, quod Ecclesia Frisingensis à longe retro actis temporibus (Principum donatione) quiete possederat, *Henricus* destruxit, & in villam suam *Munchem* transtulit. Cujus siquidem rei veritatem *Albertus* Frisingensis Episcopus in Imperatoris & in Principum Ratisponæ audientia, septem legitimis testibus probavit. Quo circa dictus Imperator secundum juris formam, translationem præfati fori & pontis in vacuum revocavit, ipsumque forum cum ponte & teloneo memorato Episcopo Frisingensi suisque successoribus restituit, & privilegio in perpetuum confirmavit, cujus tenor:

Mandatum Imperiale de horum restitutione.

In nomine Sanctæ & in dividuæ Trinitatis *Fridericus* Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus. Quæ Imperiali statuuntur auctoritate, litteris competit annotari, ne vel transuentium temporum antiquitate in oblivionem deveniant, vel pravorum hominum fraudulentis machinationibus indignam sui mutationem incurrant. Noverint igitur universi, tam præsentis quam post futuræ ætatis fideles imperii, qualiter dilectus noster *Albertus* Frisingensis Episcopus, ad Majestatis præsentiam accedens, humiliter nobis conquerendo significavit, quatenus nobilis Vir *Hainricus de Brunsvic*, quondam Dux Bavarie & Saxonie, forum in *Veringen* cum ponte, quod ecclesia sua à longe retro actis temporibus quiete possederat, destruxerit, & illud in *Villam Munchem* violenter transtulerit. Cujus siquidem rei veritas etiam nostræ constaret Serenitati: ipse tamen septem legitimis testibus in nostra probavit audientia. Sunt autem hi *Chunradus* Saltzeburgensis Archiepiscopus, *Chuno* Ratisbonensis Episcopus, *Berchtoldus* Marchio Istrie, *Gebehardus* Comes de Sultzpach, *Otto* Palatinus major, frater ejus junior, *Fridericus* Burcgravius. Consequenter igitur super eadem causa à Principibus nostræ curiæ requisita Sententiâ judicatum est, quod præfati *Hainrici* factum temerarium, in irritum ducere Imperialis deberet auctoritas. Quo circa secundum juris tenorem translationem prædicti fori in vacuum revocantes, ipsum forum cum ponte memorato fideli nostro Episcopo Frisingensi suisque successoribus restituimus, & præsentis scripti privilegio eis & suæ ecclesiæ in perpetuum confirmamus. Item, ad instantem prætaxati Venerabilis Episcopi postulationem ex indulgentia Imperialis Clementiæ permisimus & benevolo consensu approbavimus, ut prædia, quæcumque sumptibus suis ipse conquisivit, pro libitu suo ecclesiis vel aliis religiosis locis, seu ad altaria quælibet, posset contradere & de eorundem prædiorum redditibus pro suo arbitrio ordinare. Et ut hæc nostra constitutio in omne ævum rata permaneat & inconculsa, præsentem paginam in memoriam facti scribi fecimus, & Majestatis nostræ bullâ communiti. Testes hujus rei *Chunradus* Archiepiscopus Saltzeburgensis, *Chuno* Ratisponensis Episcopus, *Bertoldus* Marchio Istrie, *Otto* Palatinus major, *Otto* Palatinus junior, *Gebehardus* Comes de Sultzbach, *Fridericus* Burcgravius. Item alii testes, qui eidem negotio intererant. *Dietspaldus* Pataviensis Episcopus, *Hainricus* Curienensis electus, *Cassidomus* Mantuensis Episcopus, *Gorfridus* Cancellarius, *Rodolfus* notarius, *Romarius* Præpositus Halberstadenensis, *Hainricus* Burcgravius, *Sibodo* Comes de Neunburc, *Hainricus* de Altendorf, *Deinhart* de Halenstain, *Chunrat* Burcgravius de Nurnberg.

Nurnberg, *Fridericus* de Truhendingen & frater ejus *Albertus*. *Amelbrecht* de Lochhufen, *Hainricus* Marscalcus de Papenheim, *Burchardus* Camerarius, *Atzo* camerarius, *Regilo* Camerarius, *Rudolfus* de Waldekke, *Heinricus* felix puer, *Adilolt* de Dornbach. *Engilwan* de Achedorf & frater ejus *Heinricus*, *Rudolfus* de Riede, *Hartwicus* marscalcus, *Bertoldus* de Richerhufen, *Sibot* de Holtzehufen, *Wolfber* de Holtzehufen.

Ego *Gothfridus*, Imperialis aulae cancellarius, vice Domini *Christiani* Maguntinae sedis Archiepiscopi, Germaniae Archicancellarii, recognovi.

Signum Domini *Friderici*, Romani Imperatoris invictissimi. Acta sunt haec anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXX, Indictione XIII, Regnante *Friderico* Romanorum Imperatore gloriosissimo anno Regni ejus XXIX, Imperii XXVI. Data *Ratispona* in solenni curia, tertio Idus Julii, feliciter. Amen.

XXIX.

BREVIS NARRATIO BELLI, QVOD MAGNUS JUNIOR DUX, EJUSQVE FILII CUM LUNEBURGENSIBUS GESSERUNT,

a ciue (ut apparet) Brunsvicensi Saxonico idiomate conscripta.

Ex MSto.

Anno Domini M. CCC. LV. do stant de Borch noch untobroken to Luneborch, dar was Here uppe de gude Hertoge *Willehelm*, unde hadde ein grot beyn. Unde de stadt to Luneborch de heit to der tit in dem Rosen garden. De Here en hadde neyne söne, sünder he hadde eyne schone dochter. Ze dochter gaf he to wibe Hertogen Magnus söne van Brunswik, de heit Hertoge *Lodewich*, unde gaf deme mede dat Lant to Luneborch. Dat Lant regerde wol de Hertoge *Lodewich*, unde vordroch sek ok wol mit der stat Luneborch. Des hadde de Hertoge *Lodewich* eynen Broder, de heit Hertoge *Magnus mit der keden*. Darumme, dat he *Magnus* heit mit der keden, dat makede; he hadde synen Vader vorroret. De hadde ome gedrowet, he wolde one hengen. Unde darumme leit he maken eine keden, unde hadde de alle tit an synen halse, unde meynde dat also, wan one sin Vader hengen wolde, so scholde he one hengen in de sülvre keden, unde nicht in ein seil. Unde dar ume kreich he den namen, dat he heit: de Hertoge mit der keden. Do levede noch de olde Hertoge *Willehelm*, unde Hertoge *Lodewich* de starf. Da meinde Hertoge *Magnus* de junge, dat Lant to Luneborch mochte an on erven. Unde vel also. dat et scach. De Hertoge *Willehelm* nam ome to sek vor eynen söne, also he synen Broder *Lodewig* hadde gedan. Des sette de Hertoge *Magnus* mit deme Hertoge *Willehelm* also an, dat he sik darumme det moyeden, unde starff. Unde mit der stat wart he ok unwillich, unde wart des Rades to Luneborch also mechtich, dat he one aftwank eyne grote sumen geldes, uppe dat he dat na lere, des he mit one berengede to donde, unde des he doch nicht en leit. Darumme hadden se unwillen an beyden syden. Do vor Hertog *Magnus* mit deme gelde, dat se ome gheven, to deme hove to *Sangerhusen*, unde dat gelt en dochte do nicht, unde en wolde nicht gelden. De wile, dat he was to deme Hove to *Sangerhusen*, de wile breken de van Luneborch de Borch, en breken dat noch alle dage. Do de Hertoge weder kam van deme Hove to Celle, do kwam ome de bodeschap, dat dat hus gewonnen were van den borgern to Luneborch, un dat stunt lange tit. Unde dar ondernam de van *Hamborch*, unde makede eynen frede, de scolde stan vir weken. Unde in den vir weken stegen se in Luneborch, unde wolden dat winnen, over seven hundert gude Ridder un knapen, in der elve dusent megede nacht, und bleven ok alle dar inne, unde worden gebunden unde gevangen, unde dot geslagen.

Dar na hof sek de krich weder an mit deme Hertoge unde der stat Luneborch, unde krieden also lange, dat de Hertoge geslagen wart bi *Mompel*, unde wart gefort to *Brunswich*, unde wart dar begraben to *Ste Blasius*. De Hertoge leit na vir söne, eynen *Frederike*, eynen *Bernde*, eynen *Oten*, eynen *Henrike*. *Frederik* wart Hertoge to *Brunswich* unde wonde te *Wolffsbottel*. Dar to hulpen ome de erliken Borgere to *Brunswik*, dat he dar Here wart, also de Herschap vaken is bestande bleven by der stat van *Brunswik*. *Otte* de wart Bischof to *Bremen*. *Bernt* de hadde en orloige mit den Sticht genoten, unde wart gevangen van de *Steynbergischen*, en gefort to *Bodenborch*. Do wart eyn sprake gemaket van Bischof *Gerde* van *Hildensheim* in der stat to *Hildesheim*, dat en frigede frowe *Katherine*, Hertoge *Magnus* Husvrowe, unde gaff or to manne eyn Hertog, *Alberde van Sassen*; de scolde vordegedingen dat lant to Luneborch. Unde de van Luneborch nemmen onete eyaen Heren. Des wolde he herfarden vor *Rickelinge* uppe de van *Mandelsche*, de